jure perceperint. Dat. 4. Id. Jul. *Contionaci*, GRAT. A. II. & PROBO CONSS. 337.

Poſſidens prædia ſterilia & fertilia, non poteſt renunciare ſterilibus & fertilia retinere. Bart.

5. [1] Impp. VALENTIN. & THEODOSIUS AA.

QUi utilia [2] Reipubl. loca poſſident, permixtione facta etiam deſerta [3] ſuſcipiant: ut ſi earum partium graventur acceſſu, quas antea per faſtidium reliquerunt, cedant aliis curialibus, qui utraque hac conditione retineant, ut præſtatione ſalva cum deſertis & culta poſſideant, ſublata [4] a paucis, quos iniquum eſt electa retinere: cum municipes gravatura ſit pars relicta.

Prædium ſterile deſertum injungi debet poſſidenti fundum fertilem dominicum, vel templorum. Bart.

6. Impp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Nebridio Comiti R. P. [5].

QUiſquis [6] conductor fuerit inventus poſſeſſor fundi [fertilis [7],] qui ex publico, vel templorum jure deſcendit, huic ager jungatur inutilior [8]. Quod ſi contra id reluctandum exiſtimaverit, alius poſſeſſor ſub eadem præſtatione quæratur: vel ſi voluntarius, qui [9] ſit conductor, non inveniatur, tunc [10] ad poſſeſſores antiquos, id eſt, decuriones, vel quoslibet alios loca juris prædicti adjunctis inutilibus revertantur: idoneis fidejuſſoribus præſtitis [11]. Dat. 15. Kalend. Februar. CP. MEROBAUDE II. & SATURNINO CONSS. 383.

7. Iidem AAA. [12].

QUicunque deſertum [13] fundum patrimonialem exercuerit, & fertilem idoneumque præſtiterit: ſalvo patrimoniali canone [14], perpetuo ac privato jure defendat [15], & velut domeſticum, & avita ſucceſſione quæſitum ſibi habeat, ſuisque relinquat, neque eum aut promulgatione reſcripti, aut reverentia ſacræ adnotationis quisquam a fructu impenſi operis excludat. Cæterum eos, qui opimas [16] ac fertiles poſſident terras, aut etiam nunc ſibi exiſtimant eligendas, pro [17] deſerta [18] ſcilicet portione ſummam debiti præſentis jubemus implere. † Illos etiam, qui emphyteuticario nomine, nec ad plenum idoneas, nec omnibus modis vacuas detinent, ſi ex illis quoque, quæ [19] præſidio indigent, juſtam ac debitam quantitatem debere ſuſcipere, ut indulto temporis ſpatio, poſt biennium [20] decretum canonem ſolvendum eſſe meminerint. Nemo tamen qualibet meriti & poteſtatis objectione ſubmoveatur, quominus ad diacatochiæ [21] vicem defectas poſſeſſiones patrimonialis juris accipiat, earum tributa & canonem ſoluturus: illud ſpeciali obſervatione procurans, ut primo vicinas, & in eodem territorio ſortiatur: dehinc ſi neque finitimas neque in eisdem locis repererit conſtitutas, tunc demum etiam longius poſitas: ſed in quantum fieri valet, pro interjecto ſpatio ſibimet cohærentes, pro modo & æquitate ſuſcipiat, ut id conſenſu [22] omnium fiat, quod omnibus profuturum eſt.

Agrum ſterilem, & tributarium, & deſertum quilibet auctoritate propria poteſt invadere: ſive invadens ſit vicinus, ſive non.

8. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Tatiano P. P.

QUi [23] agros domino [24] ceſſante deſertos, vel longe poſitos vel in finitimis, ad privatum pariter publicumque compendium excolere feſtinat, voluntati ſuæ noſtrum noverit adeſſe reſponſum: ita tamen, ut ſi vacanti ac deſtituto ſolo novus cultor inſederit, ac vetus dominus intra biennium [25] eadem ad ſuum jus voluerit revocare, reſtitutis primitus quæ expenſa conſtiterit, facultatem loci proprii conſequatur. Nam ſi biennii fuerit tempus emenſum, omnis poſſeſſionis, & dominii carebit jure, qui ſiluit.

Fundos patrimoniales principis ille dicitur poſſidere jure privato, qui ipſos ſteriles accepit, & ſua cultura fecit fertiles. Bart.

9. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. Ruffino P. P.

QUi fundos patrimoniales jure privato canone ſalvo ſuſceperint: hanc omnes ſine ullius exceptione perſonæ propoſitam [ſibi [26]] intelligant optionem, ut aut ea loca [27], quibus minor eſt ſoli fœcunditas, cum his ex quibus fructus uberes capiunt, ſuſcipere, & tenere non abnuant [28]: aut ſi eorum refugiunt ſterilitatem, opimioribus cedant. Dat. 8. Id. Novembr. *Tyro*, ARCADIO III. & HONORIO II. AA. CONSS. 394.

Si fiſcus alicui ſucceſſit, qui fundos ſteriles & fertiles poſſidebat, & aliquis per potentiam fertiles occupavit, cogitur ſteriles ex eadem ſubſtantia pro portione acceptare. Bart.

10. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano P. P.

QUi [29] per potentiam [30] fundos opimos ac fertiles [31] occuparunt: cum quæſtuoſis [32] uberibusque pro rata portione ſuſcipiant infœcundos ex eadem [33] ſubſtantia. Dat. Non. Mart. CP. HONORIO A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

11. Iidem AA. Hadriano P. P.

LOcorum domini intra ſex [34] menſes edictis vocati, revertantur: qui ſi adfuerint, & propria tenuerint, & ea, quæ ex præterito contraxerint debita, redhibere coguntur. Sin vero ſe impares eſſe earum rerum tributis propria confitentur abſentia, nec adeſſe voluerint: penes [35] eos, qui [36] hæc ſuſceperint, & certum quem tributorum canonem promittunt, proprietas poſſeſſionis intemerata permaneat: ut poſtquam ea [37] excoluerint, ſciant ſibi inquietudinem ſubmovendam, nec ſubreptione cujusquam competitionis [38] loca, quæ tenuerunt, auferenda: quibus etiam illud [39] indulſimus: ut [40] ex eo tempore, ex quo primum loca, de quibus agitur, cœperint poſſidere, tributa poſcantur [41]. Dat. 6. Kalend. Septembr. STILICHONE & AURELIANO CONSS. 400.

Ad tributa prædii ſterilis nullus poſſidens fertilia cogitur, niſi poſtquam adſecutus fuerit. Bart.

12. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Seleuco P. P. [42].

HAc definitione ſancimus, nullum poſſeſſorem neque munificum prædium pro [43] alienis debitis, vel deſtitutionibus [44] eſſe retinendum [45], neque eorum prædiorum depectione [46] prægravari, quæ ex iisdem bonis, quæ retinentur [47], nequaquam eſſe monſtrantur [48]: ne [49] ullis præſtigiis atque commentis exactio mutiletur. Dat. Prid. Kal. Februar. *Ravenna*, HONOR. VIII. THEOD. V. AA. CONSS. 412.

Domini prædiorum debent requiri, ut ſolvant debita contracta; & ipſis ceſſantibus, adſignantur volentibus ſolvere. Bart.

13. Iidem AA. ad Probum.

OMnium prædiorum actores ac domini requirantur: quorum ſi victio probantur debita fuiſſe contracta, in abſoluto eſt, ut [50] debeat dominium commutari. Datum 3. Id. Jun. CP. CONSTANTE & CONSTANTIO CONSS. 414.

14. Iidem AA. Aureliano P. P.

RUra [51], & poſſeſſiones, quas curiales quolibet pacto publicatis apud acta provincialia deſideriis ſuis, vel relinquunt [52], vel poſſidere alios permiſerunt: penes eos, qui eas excoluerunt, & functiones publicas recognoſcunt, firmiter perdurabunt, nullam [53] habentibus curialibus copiam repetendi. Dat. 7. Non. Decemb. HONORIO X. & THEODOS. VI. AA. CONSS. 415.

15. Iidem AA. Sebaſto [54] Com. primi ordinis.

SI quis deſerta prædia, quæ navalem ſuſtinent functionem, & in deſertis nunc usque remanent, ſuperæquationis ſuis meliore conditione in omnibus titulis convenit ea relevari, ut gravis ſors navis [55] eſſe non poſſit, pro ea, quæ reſiderit portiuncula: cum aliis fuerit diſpendiis liberata. Dat. prid. Id. Mart. *Raven.* HONOR. A. XI. & CONSTANTIO II. CONSS. 417.

16. Iidem AA. Hermocrati P. P. [56].

SI quis auctoritate noſtri nominis [57] de fundis patrimonialibus [58] ſteriles ſub certi canonis pollicitatione ſuſceperit, firmiter eum volumus poſſidere: ſed [59] ejusdem tamen canonis ſolutione, quem noſtræ Majeſtatis auctoritas per annos ſingulos ſolvendum eſſe præſcripſit, nullamque eos deſcriptionem, ſive adjectionem [60], aut innovationem in poſterum ſuſtinere: quoniam nimis abſurdum eſt, eos, qui nobis hortantibus fundos inopes, atque egenos [61], magno labore [62] impendio, aut exhauſto patrimonio vix forte meliorare potuerunt, utpote deceptos inopinatum onus ſuſcipere: illudque velut quadam circumventione depoſci, quod ſi ſe daturos præſciſſent, fundos minime ſuſcipere, aut etiam colere paterentur. Dat. 12. Kal. CP. THEOD. A. XVIII. & ALBINO CONSS. 444.

17. Imp. THEOD. A.

JUbemus [63] neminem [64] curialem pro [65] alieni territorii debitis [66] detineri [67], ſed tantum municipem pro gleba propria conveniri. Dat. 5. Kal. Maji, *Ravenn.* poſt Conſ. FELICIS, & TAURI VV. CC. 429.

1 *Al.* Impp. Valens & Gratianus AA. ad Anthemium P. P. 2 Ευθαλῆ χωρία, Qui fertilia loca poſſident, etiam ἄπορα, ſterilia ſuſcipere debent. Quod ſi nolint, cedere debent fertilibus, ut & omnia municipes habeant. *Synopſ. Baſil.* 56. *ex tit.* 14. *c.* 12. 3 *l.* 3. *l.* 4. Ꞩ. *h. t.* 4 Sublatis. 5 *Sic legitur* in *C. Theod.* 10. 3. 4. *unde hæc lex deſumpta eſt.* al. *Iidem Auguſti.* 6 *Ut quisque*, in *C. Theod.* al. *Ut quisquis.* al. *Ut quicunque.* 7 *Abeſt a C. Theod. & quib. lib.* 8 *d. l.* 4. 9 *Quis conductor*, in *C. Theod.* 10 *l.* 1. *in fin.* Ꞩ. *h. t.* 11 *Præbitis*, in *Cod. Theod.* 12 In quibusd. additur, & Arcadius A. Cynegio P. P. 13 Defectum. 14 *l.* 5. *l.* 9. J. *de fundis patrimonialib. h. l. tit.* 61. 15 Defendantur. 16 *Optimas*, al. opportunas. 17 *l.* 4. Ꞩ. *h. t.* 18 Defecta. 19 Al. *qui.* 20 Deſerta, defecta ſive ἄπορα prædia qui ſuſcipiunt, nonniſi poſt biennium, ſolennem canonem fiſco inferunt. Euſtathius *lib. de temporib. cap. de biennio.* 21 Vide Alciatum, qui legit hic *diacatharotia*, ſed Cujacius magis probat excuſam lectionem & *diacatochiam* interpretatur poſſeſſionem, ex qua fiſco canon debetur: ut, ad diacatochiæ vicem, ſignificet, poſſeſſionis titulo & jure. 22 Pars major collegii & univerſitatis quod facit, omnes facere & comprobare tenentur, *arg. hujus legis, l.* 160. §. 1. *ff. de reg. jur. l. quod major.* 19. *ff. ad municip. cap.* 1. X. *de his, quæ fiunt a majori parte.* quam ſententiam limitat, ſeu reſtringit Corſetus *ſingulari univerſitas*, ſi de reformatione, ut ipſe loquitur, officialis agetur: ſi de revocanda libertate, vel retrahendo in ſervitutem aliquo: ſi pars major ſtatuere volet adverſus ea, quæ ab omnibus antea ſtatuta ſint. Item ſi contra jus ſtatuerent, adde *Innocentium in c. humilis.* 17. *de majoritate & c. cum omnes.* 6. *X. de conſtit.* Poſtremo ſi pars major extra collegium id fecerit. *c. in cauſis.* 30. *de lect.* Bald. *in l. Per fundum.* 11. *ff. de ſervit. ruſtic.* 23 Agrum ſterilem & tributarium, & deſertum quilibet auctoritate propria poteſt invadere, quod qui facit, non incidit *in l. cum quærebatur.* 11. Ꞩ. *unde vi.* 24 *l.* 14. *in pr.* J. *h. t.* 25 Deſerta prædia qui occupant, ea dominus ab eis repetere poteſt intra biennium redditis meliorationibus, *ut hic.* Euſtathius *lib. de temporib. c. de biennio.* vid. quæ notavi ad *l.* 1. §. 10. *ff. de adq. poſſeſſ.* Neque obſtat *lex* 11. J. *h. t.* loquitur de eo, cui prædia addicta ſunt a peræquatore, non de eo, qui deſerta occupavit. *Goth.* Vid. Gloſſ. in *l. final.* Ꞩ. *de cenſib. h. l. tit.* 57. *l. fin.* Ꞩ. *de jure Reipub. h. l. tit.* 29. Ærod. in Pand. *lib.* 5. *tit.* 21. *c.* 8. Et nota, Impenſas in aliquam rem factas ante omnia eſſe reſtituendas: qua de re vid. Kinſchot. *Reſponſ.* 105. Anſ. 26 Al. *deeſt.* 27 Vid. *l.* 4. Ꞩ. *h. t.* 28 *Abnumerat*, al. *abnumerent.* 29 *C. Th.* 13. 11. 8. 30 *Impotentiam*, in *C. Theod.* 31 *l.* 4. Ꞩ. *h. t.* 32 Vid. *l.* 12. J. *h. t.* 33 Multa ſunt hic immutata ex *C. Th.* unde hujusmodi ſubſcriptio addenda eſt: Dat. Non. Mart. *Conſtantinopol.* Honor. A. 4. & Eutychiano Conſſ. 34 Deſertum agrum qui a peræquatore accepit, firmo jure eum tenet, neque reliqua prioris poſſeſſoris ſolvit. Quod ſi ſupervenerit, qui agrum vindicet dominii, aut hypothecæ jure, & evincat, meliorationis ſumptus ab eo conſequitur, ſi modo is veniat intra ſex menſes poſt addictionem agri. Poſt ſex menſes venienti obſtat præſcriptio, *ut hic. & l. ult. in fin.* Ꞩ. *de cenſib. & cenſitorib. tit. prox.* adde quæ ſcripſi ad *l.* 8. *ſupr. h. t. l.* 7. Ꞩ. *de cenſib.* Euſtathius *lib. de temporib. c. de ſex menſib.* 35 Penes quidem hos. 36 *l.* 13. J. *h. t.* 37 Ea excoluerint. 38 Competitoris. 39 Vid. *l.* 36. *ff. de jure fiſci.* 40 *l.* 7. *ſupr. de cenſib. & cenſitorib. l.* 2. *in fin. infr. de fundis rei privatæ. h. l. tit.* 65. *Novell.* 128. *c.* 14. 41 Præſtentur. 42 *C. Th.* 11. 31. 43 Clarigationes & repreſſaliæ vetitæ, *l.* 10. Ꞩ. *h. t. l. ult.* J. *h. t. l.* 4. Ꞩ. *de agricol. & cenſitis. h. l. tit.* 47. *Nov.* 17. 52. 128. *c.* 14. *l. un.* Ꞩ. *ut nullus ex vicaneis. h. l. tit.* 56. *l.* 4. J. *de executoribus & exactorib. l.* 12. *tit.* 61. adde Papon. 3. *Not. tit. des lettres de marque, &* 5. *Arreſtor.* 3. Gaylium *tract. de pign.* 44 *Deſtitutione*, in *C. Th.* 45 *Detinendum*, in *C. Th.* 46 *Depectione*, al. *defectione*, in *C. Th.* al. *defunctione*, in *lib. Aured.* legitur, *defunctione.* 47 *Retinent*, in *C. Th.* 48 Monſtratur. 49 Nec. 50 *l.* 11. Ꞩ. *h. t. l.* 10. Ꞩ. *de annonis & tributis. l.* 10. *tit.* 16. *l.* 2. *in fin. l.* 7. *in fin. l.* 8. Ꞩ. *de exactor. trib. l.* 10. *tit.* 19. *l.* 2. *in fin.* J. *de fundis rei privatæ. h. l. tit.* 65. 51 Al. *Jura*, ſed male. 52 Vid. *l.* 8. *in pr.* Ꞩ. *h. t.* 53 *Al.* additur, *penitus.* 54 Al. *Sebaſtiano.* 55 Navalis. 56 Al. *Hermogeni.* 57 Numinis. 58 *l.* 3. *verſic. ſimiliter.* Ꞩ. *de alluvionibus. l.* 2. *in pr.* J. *de fundis rei privatæ. h. l. tit.* 65. 59 Ita ut non relevetur fundus. *l. un.* Ꞩ. *de coll. donatorum. l.* 10. *tit.* 28. 60 Vid. quæ ſcripſi ad inſcriptionem *tit. de in diem addictione.* 61 Novella integra habet *jejunos*, & ita legitur in *quib. vet. lib.* 62 In quib. libr. hæc lex ſuperiorem præcedit: & ea eſt illius inſcriptio: Impp. THEODOS. & VALENT. AA. Celeri Proc. Afric. 63 *C. Th.* 12. 1. 186. 64 Μηδεὶς τῶν κτητόρων ὑπὲρ γῆς &c. Nullus curialium pro gleba in alieno territorio ſita detineatur. *Synopſ. dict. tit.* 14. *cap.* 16. 65 Clarigationes prohibitæ, *ut hic. l.* 12. Ꞩ. *h. t. & l.* 4. J. *de executoribus. l.* 12. *tit.* 61. *Nov.* 128. *cap.* 14. 66 Territorium & glebam dicit pro eodem, ut *l.* 11. Ꞩ. *de oper. publ. l.* 3. Ꞩ. *de nat. lib. l. nulli.* Ꞩ. *de epiſcop. & cler.* municipem quoque & curialem pro eodem, ut *l.* 5. Ꞩ. *hoc titul. l.* 1. J. *de fug. col. l.* 41. *C. Th. de oper. publ.* Curialis igitur glebæ propriæ, non alienæ nomine tenetur. *l.* 12. *ſupr.* Mod. 67 *Attineri.*

TIT. LIX.

DE [1] FUNDIS LIMITROPHIS [2], ET TERRIS, ET PALUDIBUS, ET PASCUIS, ET LIMITANEIS [3], VEL CASTELLORUM [4].

Reſcripta in contrarium impetrata nullius ſint momenti.

1. Imppp. VALENT. VALENS, & GRATIAN. AAA. ad Licinium [5] P. P.

TIberianus [6] ad poſſibilitatem ſingulorum quorumque locorum intuens ſtatuit certas poſſeſſiones, quæ ad limitem [7] frumenta conveherent. Quocirca generali lege ſancimus, Tiberiani diſpoſitionem oportere obſervari: amoventes quidquid vel potentia cujuscunque [8] elicuit [9], vel furtiva [10] deprecatio: addentesque nihilominus in futurum nulli licere [11] adverſus utilem vetuſtatem, & præſentem legem noſtram importuna, & reſpuenda repoſcere [12]. Dat. 18. Kal. Octob. *Aquileiæ*, ARCAD. A. & BAUTONE CONSS. 387.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Aſclepiodoto P. P. & conſ. ordinario.

QUicunque caſtellorum [13] loca quocunque titulo poſſident, cedant [14] ac deſerant: quia his [15] tantum fas eſt poſſidere [16] caſtellorum territoria, quibus adſcripta ſunt, & de quibus judicavit antiquitas: quod ſi ulterius, vel privatæ conditionis quiſpiam in his locis, vel non caſtellanus miles fuerit detentator inventus, capitali ſententia cum publicatione bonorum plectetur. Dat. 5. Non. Mart. CP. ASCLEPIODOTO, & MARINIANO CONSS. 423.

Agri limitanei donec per milites poſſidentur, ſunt a tributis immunes. Bart.

3. Impp. THEOD. & VALENT. Auguſti Nomo Magiſtro officiorum.

AGros limitaneos univerſos cum paludibus omnique jure, (quos [17] ex priſca diſpoſitione limitanei [18] milites ab omni munere vacuos ipſi curare pro ſuo compendio, atque arare conſueverant:) & ſi in præſenti [19] coluntur, ab his firmiter, ac ſine ullo concuſſionis gravamine detineri: & ſi ab aliis poſſidentur (cujuslibet [20] ſpatii temporis præſcriptione ceſſante) ab univerſis detentatoribus vindicandos [21], iisdem militibus ſine ullo prorſus (ſicut antiquitus ſtatutum eſt) collationis onere volumus adſignari: in his etiam contra eos, qui præceptionibus noſtris obviam venire tentaverint, proſcriptionis [22] pœna valitura: Nam ſi quis forte (quod minime audere debuerat) emptionis titulo, memorati juris poſſidet prædia: competens ei actio contra venditorem intacta ſervabitur [23]. Dat. Prid. Id. Septemb. *Conſtantinop.* MAXIMO II. & PATERIO [24] CONSS.

TIT. LX.

DE [25] PASCUIS [26] PUBLICIS ET PRIVATIS.

Antiqua penſio pro paſcuis ſaltuum antiquitus conſtituta, inconſulto Principe augeri non debet.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. [27] P. P.

CUm [28] nulla ratio ſit, cur in paſcuis ſaltibus rei privatæ penſio debeat ampliari, nequaquam pro libidine ordinum augmenta facienda ſunt. Etenim idcirco graviorem penſionem imponi ab ordinibus accepimus, ut animalia ex rebus privatis noſtris a locorum paſtibus arceantur: quod fieri non oportere divæ memoriæ Julianus prorogata juſſione conſtituit. Quare excellens auctoritas tua conventis provinciarum rectoribus non eam licitationis neceſſitatem patiatur inferri, quam repentinam faciunt civitates, ſed eam manere decernet quam ſtatuit antiquitas. Dat. 8. Kal. Octob. *Luceriæ*, VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

2. Impp. ARCADIUS & HONORIUS AA. ad Simplicium Magiſt. mil. [29].

INſignis [30] auctoritas tua hac [31] conditione a publicis [32] pratis [ac amœnis [33]] paſcuis animalia militum prohiberi præcipiat, ut [34] univerſi cognoſcant, de emolumentis eorum, tuique officii facultatibus, duodecim libras auri fiſci commodis exhibendas, ſi quisquam poſthac memorata prata [35] mutilare tentaverit: non minore decernenda pœna, ſi etiam prata privatorum [36] Antiochenorum fuerint devaſtata: ita tamen, ut ſine læſione provincialium provideant curiales quo pacto animalium militarium paſtui [37] conſulatur. Dat. 5. Id. Mart. CP. HONORIO A. IV. & EUTYCH. V. C. CONSS. 398.

Prata provincialium non debent fatigari moleſtia militum principis. Bart.

3. Impp. HONORIUS & THEODOSIUS AA. Comitibus & Magiſtris militum.

PRata [38] Provincialium noſtrorum, & præcipue rei privatæ noſtræ pernicioſum [vel periculoſum [39]] eſt militum moleſtia fatigari: ideoque lege ad ampliſſimam [40] præfecturam promulgata, cenſemus, ne hoc deinceps uſurpetur: ſuper qua re univerſos quorum intereſt, convenire tua magnificentia non moretur: neque permittat [41] poſſeſſores, vel colonos pratorum gratia qualibet importunitate vexari. Dat. Non. Septemb. HONORIO X. & THEOD. VI. AA. CONSS. 415.

TIT. LXI.

DE FUNDIS PATRIMONIALIBUS [42], ET SALTUENSIBUS [43], ET EMPHYTEUTICIS, ET EORUM CONDUCTORIBUS.

De donatione.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Cypito.

SI quis fundos emphyteutici [44] juris ſalva lege fiſci [45] citra judicis auctoritatem donaverit, donationes firmæ [46] ſint, dummodo ſuis quibusque temporibus ea, quæ fiſco penſitanda ſunt, repræſentare cogatur. PP. 17. Kalend. Jul. *Trever.* CONSTANTINO A. IV. & LICINIO III. CONSS. 315.

De penſitatione omiſſa a minore XXV. *annis.*

2. Idem A. ad Dracontium.

PAtrimonialis fundi penſitationem, ſeu aurariam, ſeu frumentariam intra tempus omiſſam, minorum dominio non nocere præcipimus, nec ad fraudem juris eorum accedere [47], ſi quod ſolemniter debetur, paulo ſerius inferatur: ita tamen, ut permanente ſubſtantia parvulorum [48], judex tutorem, vel curatorem, per quem differtur illatio, negligentiæ ſuæ & deſerti officii pœnas exigat, & damna deplorare compellat.

Quibus ex cauſis fundus ab emphyteuticariis relinqui, vel eis auferri non poteſt.

3. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Germanianum Com. S. L.

QUicunque [49] poſſeſſiones ex emphyteutico jure ſuſceperint, ea ad refundendum [50] uti occaſione non poſſunt, qua aſſerant deſertas eſſe cœpiſſe, tametſi reſcripta per obreptionem meruerint: ſed nec avelli eas ab his poſſe, nec ſi licitatio [51] ab alio [52] fuerit promiſſa [53], ſed eas in perpetuum apud eos, qui eas ſuſceperint, & eorum poſteritatem remanere, nec ſi ſuper hoc reſcriptum fuerit adverſus eos impetratum. Dat. 8. Kal. Octob. *Mediolan.* VALENTINIANO & VALENTE AA. CONSS. 365.

De his, qui poſcunt fundos ad domum principis devolutos.

4. Imppp. VALENS, GRATIANUS, & VALENT. AAA. ad Florentium [54].

FUndi [55] patrimoniales, & qui ex emphyteutico jure ad domum noſtram diverſis generibus devoluti ſunt, ſic eis, qui eos popoſcerint, cedunt [56], ut commiſſi metus eſſe non poſſit. Neque enim magis commodamus noſtra, quam tradimus ea jure dominii: ita [57] tamen, ut ea, quæ in noſtra poſſeſſione poſiti præſtiterint, & in poſterum ſolvant. Dat. Id. Mart. *Treveris*, VALENTINIANO II. & VALENT. II. AA. CONSS. 368.

De his, qui a peræquatore, vel cenſitore deſertum agrum patrimonialem ſuſcipiunt.

5. [58] Impp. GRATIAN. & VALENT. AA.

SI, qui a prioribus colonis, vel emphyteuticariis deſtitutum patrimonialem fundum a peræquatore, vel cenſitore ſuſceperint, perpetuo [59] eundem atque inconcuſſo jure poſſideant, nec quisquam ſecundus petitor accedat. Dat. 4. Non. Novembr. GRATIANO A. IV. & MEROBAUDE CONSS. 377.

De donatione.

6. Imppp. GRATIAN. VALENTIN. & THEOD. AAA. Nebridio Com. R. P.

HI, quibus patrimoniales poſſeſſiones per Aſianam [60] & Ponticam diœceſim, vel a nobis, vel a divis [61] parentibus noſtris ſacra largitate donatæ [62] ſunt, inconcuſſe poſſideant, atque ad ſuos poſteros [63] transmittant: quod quidem non ſolum in heredibus, ſed etiam

1 *Ecl. lib.* 55. *tit.* 6. 2 *Limitotrophis*, Cujac. Limitotrophi fundi dicuntur, quod inde milites limitanei aluntur, non quod ad milites limitaneos pertineant, ut *l.* 13. J. *de fundis patrim. h. l. tit.* 61. Græci ita legunt: περὶ ἀγρῶν λιμιτανέων, καὶ λιμιτρόφων, καὶ ἐμφυτευτικαρίων, *de agris limitaneis & limitrophis & emphyteuticariis. Syn. Baſil.* 55. *tit.* 6. *l.* 3. *infr. h. t.* 3 Fundi limitanei, qui ad milites limitaneos pertinebant. 4 Caſtellorum fundi ad milites caſtellanos pertinent. *l.* 2. *infr. h. t.* 5 Al. *ad Latinum, in meo manuſcript.* Cont. 6 De fundis limitotrophis diſpoſitionem Tiberiani P. Prætorio confirmat. 7 In ſcriptis, *ad limitum frumenta convenirent.* 8 Uniuscujusque. 9 Reliquit. 10 Id eſt, obreptio. De obreptionis exceptione, & ſubreptionis adde Oldendorpium *c.* 14. *de except.* 11 Nocere. 12 Depoſcere. 13 Caſtellani milites agros caſtellis deputatos ſoli poſſidere debent, non privati aut alii milites. 14 Reddant. 15 Ab his. 16 Poſſideri. 17 Limitanei agri, quos limitanei milites ex priſca diſpoſitione ab omni munere vacuos ipſi curabant, & arabant pro ſuo compendio. Ex priſca, inquam, diſpoſitione, ſeu uti attributi illis ſint ἀφορισθὲν ἐξ ἀρχῆς, *Synopſis* 55. *tit.* 6. *cap.* 2. 18 Limitanei milites, οἱ τὰς κλεισούρας φυλάττουσιν, qui cliſuras cuſtodiunt. *Synopſ.* 55. *tit.* 6. *cap.* 2. id eſt, prætenturas burgos, vel arces. 19 Præſentia. 20 *l.* 8. J. *de fundis patrimon. h. l. tit.* 61. 21 Vindicatos. 22 Eadem pœnarum acerbitate, quæ adverſus ducum aviditatem prolata eſt, valitura, in *Nov. Theod.* 23 Hanc ſubſcriptionem reſtitui ex *Nov. Theod.* 24 Al. *Paterno.*

25 Περὶ νομῶν ἤτοι βοσκῶν. *Ecl. lib.* 55. *tit.* 7. & 7. *C. Th.* 7. 26 Ꞩ. *tit. prox. & lib.* 7. *tit.* 41. *l.* 30 *in fin. ff. de verb. ſign.* 27 Ad Ruffinum. 28 *l.* 2. *C. Th. h. t.* 29 Al. *Simplicio Comiti & magiſtro utriusque militiæ.* 30 *l.* 3. *C. Th. h. t.* 31 Al. *conditio.* 32 *l.* 3. *in princ.* J. *h. t.* 33 Pro incluſis legit Cujac. 1. *obſerv.* 19. Apamænis, id eſt, Syriæ locis, de quibus Strabo *lib.* 16. *in quibusd. vet. lib. deeſt* amœnis. 34 Ut &. 35 Prata prava. 36 *Al.* additur, *aut.* 37 Paſcuis. 38 *l.* 2. *ſupr. h. t. Synopſ. h. t. cap.* 7. *l.* 5. *C. Th. h. t.* 39 *Al.* deeſt, *vel periculoſum.* 40 Ad Aurelianum P. P. & Patricio: qui eſt *l.* 4. *C. Theod. h. t.* 41 Permittant.

42 Fundi *patrimoniales* ſunt, qui ad patrimonium principis pertinent. 43 *Saltuenſes* fundi ſunt paſtioni deputata nemora: Emphyteutici vero fundi ſunt, qui emphyteutico jure dantur. Cujac. *hic.* adde *l.* 13. *ſupr. de prædiis minorum.* 44 Emphyteutici juris fundum ſalva lege fiſci, donare citra judicis autoritatem licet. 45 Ad Sarmientum *l.* 3. *ſel. c.* 2. Mod. 46 *l.* 16. *in fin. ff. de pign. act.* v. tamen *l. ult. ſupr. de reb. alien. non alien. Novell.* 7. *cap.* 1. *verſ. alienationis.* 47 Evadere. *Goth.* Intellectum hujus l. vid. *deciſ. Ultraject.* 38. *num.* 2. Anſ. 48 Parvuli, qui intra viceſimum quintum annum. *l.* 1. *infr. de fugitivis colonis. h. lib. tit.* 63. 49 In emphyteuſim fundum a fiſco accipiens, non poteſt fundum, eo prætextu, quod deſertus ſit (ne quidem, ſi reſcriptum principis habeat) refundere (ἀποβάλλεσθαι) ut per contrarium avelli ab eo non poteſt, etiamſi ſuper eo fundo fiat licitatio ὑπερθεματισμός.) Itaque fundus ita acceptus apud accipientem & ejus poſteritatem perpetuo manet. *Synopſ. Baſil.* 15. *tit.* 15. *ex lib.* 55. *tit.* 1. *cap.* 9. §. 4. 50 Referendum, al. *refutandum: in duobus manuſc.* reddendum. *Goth.* Quod eſt gloſſema verbi *refundendum*, quo uſi eodem modo Juriſconſ. in *l. item quod. ff. de in diem. l. generaliter.* §. *quod ſi legatum.* 16. *ff. de fideicomm. libert.* Mod. 51 Locatio. 52 Aliquo. 53 Permiſſa. 54 *Iidem AA. ad Florianum Com. R. P. in lib. manuſc.* al. *ad Florum.* 55 Fundi publici (δημόσιοι) in perpetuum locati, ſine juſſu principis non auferuntur. *Synopſis Baſil.* 15. *tit* 15. *ex lib.* 55. *tit.* 1. *cap.* 9. §. 4. Goth. Jubet lex ut fundi patrimoniales & emphyteutici juris ad domum principis devoluti, forte ex cauſa deſertionis, vel permutationis colonorum, poſcentibus ſalvo canone addicantur, & ne ob ceſſationem canonis committantur. pugnat igitur cum *l.* 2. Ꞩ. niſi hæc accipiatur de canone, illa de tributis. *l.* 1. *ſupr. de ſuſceptor.* Mod. 56 Vid. *l.* 6. J. *h. t.* 57 *l.* 2. *in fin. l.* 5. J. *de fundis rei privatæ. h. l. tit.* 65. 58 *Al.* Imppp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſ. AAA. ad Modeſtum P. P. 59 Vid. *l.* 7. *in princ.* Ꞩ. *de omni agro deſerto. h. l. tit.* 58. 60 Aſiam. 61 Divinis. 62 *l.* 4. *in prin.* Ꞩ. *h. t. l.* 1. *l.* 2. *ſupr. ne fiſcus rem quam vendidit, evincat. l.* 10. *tit.* 5. *l.* 1. J. *de fundis rei privatæ, h. l. tit.* 65. *l.* 4. *l.* 5. J. *de diverſis prædiis urbanis, h. l. tit.* 69. *l.* 5. J. *de locat. prædiorum. h. l. tit.* 70. 63 Natos etiam ante hunc contractum initum. Hotom. 2. *illuſtr.*

in contractibus [1] omnis generis [2] volumus cuſtodiri. Dat. 4. Kal. April. CP. RICHOMERE & CLEARCHO CONSS. 384.

De cautione ab emphyteuticario præſtanda.

7. Iidem [3] AAA. Cynegio P. P.

QUicunque ad emphyteuſim fundorum patrimonialium, vel reipublicæ juſſu noſtri numinis [4] venerit, is, ſi redundantia fortunarum idoneus fuerit ad reſtituenda, quæ deſertis forte poſſeſſionibus requirentur, patrimonium ſuum publicis implicet nexibus. Si vero minor facultatibus probabitur, datis fidejuſſoribus idoneis ad emphyteuſim accedat: ſcientibus his, quos talium rerum cura ſollicitat [5], in ſe negligentiæ damna, ſi hujusmodi cautio defuerit, eſſe vertenda [6]. Dat. 6. Kal. Maji, CP. HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

De fundis limitrophis.

8. Iidem AAA. Nedearcho [7].

OMnes fundi [8] patrimoniales per Meſopotamiam, & Oſdrochenam [9] provincias, quos conſtat divorum retro Principum ſanctionibus limiti deputatos, ad jus priſtinum ſine ullius adſertionis revocentur [10] obſtaculo, præbituri omnia, quæ antea impendenda neceſſitatibus limitis præberi [11] conſueverant: ita ut nulli penitus audiantur, qui aut reſcripto, aut adnotatione dominium, vel emphyteuſim, vel conductionem quolibet genere largitatis de noſtra liberalitate meruerint. Dat. prid. Kal. Maji, CP. HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS.

De fundis patrimonialibus emptis, vel donatis, jure privato.

9. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano P. P.

UNiverſi cognoſcant nihil privato jure, ſalvo [12] canone, fundis emptis [13] cum patrimonialibus eſſe commune: ita ut ad eos nunquam patrimonialium fundorum peræquator accedat: gravi multa feriendo, eo, qui ſtatuta noſtræ clementiæ auſus fuerit temerare. Dat. prid. Id. Novembr. HONORIO A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

Si fundi patrimoniales fertiles aliquibus ſunt conceſſi & ſteriles non: peræquator debet ſterilia fertilibus aggregare: ut ſi omnium penſio præſtetur, & diviſio fiat ſterilium æqua lance & fertilium. Bart.

10. Iidem AA. Eutychiano P. P.

FUndos patrimoniales eos duntaxat, qui *ſalvo canone* jure [14] privato noſtra liberalitate [15] conceſſi ſunt, cum his [16] patrimonialibus, qui in conditione propria [17] conſtituti ſunt, illuſtris auctoritas tua jubeat exæquari: ita ut relevato onere rei [18], quod imminet fatigatis, translatio in eos, qui integris viribus florent, [& adſcriptio [19]] tributorum æqua lance dividatur. Dat. 4. Id. April. CP. THEODORO CONS. 399.

De cautione ab emphyteuticario non præſtita.

11. Impp. THEOD. & HONOR. AA. Probo Com. S. L.

JUs emphyteutici prædii, quod ſine obligationis vinculo retentatum eſt judicio noſtro, immutabile perdurare præcipimus: poſſeſſionem autem, quæ ſine obligatione ſpeciali fuerit vitioſa, vetuſtate temporis nolumus [20] adjuvari. Datum Id. April. *Ravennæ*, HONOR. VIII. & THEODOS. III. AA. CONSS. 411.

De jure poſſeſſorum, vel emphyteutic.

Emphyteutæ fundos patrimoniales emere non coguntur. Bart.

12. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Tauro P. P.

POſſeſſores, vel [21] emphyteuticarii [22] patrimoniales, qui fundos minime nunc usque comparaverunt, eodem largitatis modo nequaquam ad eorum comparationem urgeantur: ſed tanquam pretiis depenſis, ſic eis noſtri numinis [23] beneficio potiantur: ut quod juris alter inferendo pretium conſecutus eſt, hoc noſtra liberalitate prædictus emphyteuticarius habeat. Illud quoque jus, in quibus coluit prædiis, quod aut ex ſucceſſione, aut ex comparatione privata, aut [24] noſtri numinis liberalitate, aut quocunque modo poſſedit, ſciat illibatum intemeratumque ſervari: licentia eis concedenda etiam libertates mancipiis ex fundis patrimonialibus atque emphyteuticariis, cum fundorum ſint domini, præſtare. Dat. 14. Kal. Jul. ARIOBINDO, & ASPARE CONSS. 434.

De fundis non alienandis.

13. Iidem [25] AA. ad Florentium P. P.

NUlli jam in poſterum licere præcipimus patrimoniales, ſeu limitrophos [26], vel ſaltuenſes [27] fundos, qui per tractum Orientis [28] poſiti ſunt, ad jus transferre privatum: ſive dempto, ſive ſalvo canone juris [fundorum [29]] immutatio poſtuletur: legis temeratores quinquaginta librarum auri pœna coërcentes: tam videlicet petitorem, quam officium, quod petitionem concedit admitti: licet adnotatio noſtra, vel [30] divina pragmatica contra vetitum proferatur. Dat. 6. Id. Jun. CP. THEODOSIO A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De præſcriptione XL. *annorum.*

14. Imp. ANASTASIUS A. Matroniano P. P.

JUbemus [31] omnes, qui in quacunque diœceſi, aut quacunque provincia, vel quolibet ſaltu [32], vel civitate [33] fundos patrimoniales, vel templorum, aut agonothetici [34], ſeu relevatorum jugorum, vel cujuscunque juris per quadraginta [35] jugiter annos (poſſeſſione ſcilicet, non ſolum eorum qui nunc detinent, verum etiam eorum qui antea poſſederant, computanda) ex quocunque titulo, vel etiam ſine titulo hactenus poſſederunt, vel poſtea per memoratum quadraginta annorum ſpatium poſſederint, nullam [36] penitus ſuper dominio memoratorum omnium fundorum, vel locorum, vel domorum a publico actionem, vel moleſtiam, aut quamlibet inquietudinem formidare, ſed impoſitum canonem pro qualitate juris, cujus prædia ſunt, aut loca, per ſingulos annos ſolventes, pro certo habeant ſuum eſſe, quod poſſident, vel poſtea poſſederint: ita ut omnibus ad excludendam omnem quolibet modo ex publico movendam quæſtionem, nuda ex [37] quocunque titulo, vel etiam ſine titulo corporalis quadraginta annorum jugis [38] poſſeſſionis exceptio poſſit ſufficere: hoc etiam adjiciendo, ut illi quoque, qui adempto [39] canone hujusmodi fundos ab initio principali juſſione [40] datos ſibi fuiſſe confirmant, ſi per quadraginta annos adempti canonis beneficium jugiter poſſederunt, nec canonem, cujus ademptionem quadraginta (ſicut dictum eſt) annorum poſſeſſio teſtatur, poſſint penitus profligari: eo quod noſtræ pietati placuit in utroque caſu, id eſt tam ſalvo, quam adempto canone, poſſeſſorum noſtrorum jura in eo ſtatu, in quo per quadraginta annos (ſicut dictum eſt) jugiter manſerunt, absque ulla innovatione durare. Dat. 3. Kal. Auguſt. CP. OLYB. V. C. CONS. 491.

TIT. LXII.

DE MANCIPIIS ET COLONIS PATRIMONIALIUM, SALTUENSIUM, ET EMPHYTEUTICORUM [41] FUNDORUM.

Si villa locata in emphyteuſim conceditur, non poſſunt coloni uſurpare totum territorium ejusdem. Bart.

1. Imp. [42] CONSTANTINUS A.

EMphyteuticarios gravant [43] coloni, agros præter conſuetudinem uſurpantes, quos nullis culturis erudierunt: cum ſolennitas id [44] eos attrectare permittat, quod eorum labore, vel olivetis eſt inſitum [45], vel vinetis. Sed & irriguas fontium [46] aquas uſurpare conantur, quarum [47] fructus ſolis emphyteuticariis debentur. Ideoque placuit, ut [48] deinceps aquarum jura poteſtatesque penes emphyteuticarios permaneant: tantumque [49] ex [eis [50]] colonis impertiatur, quantum culturis eorum agrorum ſufficere manifeſtum eſt, quos [51] ipſi colunt: pro modo autem ſuperfluæ irrigationis, quam ultra culturas ſuas uſurparint, emphyteuticariis [52] poſſeſſoribus penſiones acceſſionesque præbeant. PP. 7. Id. Mart. *Carthagine*, CONSTANTINO A. V. & LICINIO C. CONSS. 319.

Manumiſſio facta de mancipio fundi patrimonialis a non domino, reſcinditur per procuratorem Cæſaris. Bart.

2. Imppp. VALENS, GRATIAN. & VALENT. AAA. ad Germanianum Com. S. L.

LIbertates, quas mancipiis [53] ex fundis patrimonialibus, atque emphyteuticis, qui fundorum non ſunt domini, præſtiterint, rationales hujus [54] præcepti auctoritate reſcindant. PP. 13. Kalend. Maji, LUPICINO & JOVINO CONSS. 367.

Emptor fundi patrimonialis tenetur dare colono, quem ſi expulerit, poſſeſſione privatur.

3. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Poſthumiano P. P.

COgnovimus a nonnullis, qui patrimoniales fundos meruerunt [55], colonos antiquiſſimos perturbari, atque in [56] eorum locum [57], vel ſervos proprios, vel alios colonos ſurrogari. Edicti itaque hujus auctoritate ſancimus, eos, qui deinceps aliquid hujusmodi crediderint attentandum, iisdem poſſeſſionibus eſſe privandos.

1 *Contractatoribus, in quib. vet. lib.* 2 Omni genere. 3 Al. *Et Arcadius* AAAA. 4 Nominis. 5 *l.* 1. *J. de locatione prædiorum. h. l. tit.* 70. 6 Revertenda. 7 Al. *Clearcho P. P.* 8 Hoc notandum adverſus illos, qui dicunt, Rom. imperium non fuiſſe extenſum ultra Euphratem. 9 Osdroënam. Alciat. *hic.* al. *Oſroënam*, al. *Sophenam.* 10 *l.* 3. *ſupr. de fundis limitrophis. h. l. tit.* 59. 11 Præbere. 12 *l.* 5. *§. h. t.* 13 Patrimoniales fundi jure privato vendi emive poſſunt juſſu principis, ſalvo tamen canone. adde *l.* 10. *J. h. t.* 14 Jure privato fundi patrimoniales donati, in dominio donatoris ſunt. 15 Patrimoniales fundi interdum donantur jure privato, principis juſſu. *l.* 39. *in fin. ff. de leg.* 1. *l.* 9. *ſupr. de omni agro deſerto: h. l. tit.* 58. excepto Oriente, *l.* 13. *J. h. t.* 16 Patrimonialium fundorum alii in emphyteuſim dantur, alii locantur: illi jure privato dantur: hi locantur tantum. 17 Patrimoniales fundi in conditione propria manent, quorum dominium non eſt translatum, ſed qui tantum locati. Conditio enim propria hæc eſt patrimonialium, ut locentur, non ut in jus privatum transferantur. 18 Ejus quod. 19 Al. *deſunt.* 20 Al. *volumus*, ſed rectior eſt excuſa lectio. 21 Emphyteuticarii a poſſeſſoribus diſtinguuntur. Hi, non illi, domini efficiuntur. *l.* 1. *ff. ſi ager.* 22 Emphyteuticarii fundi ſunt, qui emphyteutico jure dantur, qui & patrimoniales ſunt. 23 Nominis. 24 A noſtri nominis. 25 *Ex Novell. Theod. cujus eſt ea inſcriptio, Iidem AA. Florentio P. P. Dom.* 26 *Limitotrophos* legit Cujac. non *limitrophos*: quamvis ita legatur in *Nov. Theod.* Porro qui limitrophi fundi, explicatum *ſupr. de fundis limitrophis.* 27 Patrimoniales fundi in Oriente jure privato donari non poſſunt. *ut hic.* Atque ita hæc exceptio eſt *l.* 9. *l.* 10. *ſupr. h. t.* 28 Vid. *l.* 14. *J. h. t.* 29 *Deeſt* in *Nov. Theod.* 30 *Licet*, in *Nov. Theod.* ex qua ſubſcriptio ſic reſtituenda eſt: Dat. 6. Id. Jun. *Conſtantinop.* Theodoſio A. 17. & Feſto Conſſ. 31 Quisquis in quacunque diœceſi, vel provincia fundum principis patrimonialem, vel templi vel agonotheticum (ἰδιόκτητον, ἢ ἱερατικὸν, ἢ ἀγωνοθετικὸν) per annos quadraginta continuos, ſive juſto, ſive non juſto titulo poſſederit: firmiter eum teneat. Idem juris ſit, ſive ſalvo canone, ſive non per annos quadraginta poſſederit, ut eum tuto retineat, *Synopſis Baſil.* 51. *tit.* 3. *ex lib.* 56. *tit.* 14. *cap.* 31. 32 Saltuenſes fundi, nemora paſtioni deputata, qui fundi etiam patrimoniales ſunt. *l.* 13. *ſupr. h. t.* 33 Al. *deſunt.* 34 Agonothetici juris fundi, *hic*, qui agonothetici. *l. pen. infr. de diverſ. præd. h. l. tit.* 69. maſtigophori. *l.* 18. §. 17. *ff. de munerib. & honor.* deputati ſumptibus ſacrorum certaminum. *Goth.* Plura ad hanc legem videat, qui volet apud Cujac. & Alciatum hic & *ad l.* 12. conſulat Molinæum *ad conſuetudines Pariſienſes* §. 55. *gloſſ.* 4. *num.* 15. Mod. 35 Præſcriptione 40. annor. defendi poteſt poſſeſſor, qui fundum patrimonialem, vel ſacrorum templorum, vel fundos quaſi alienatos, vel quaſi donatos, dempto canone cum titulo, vel quaſi titulo 40. annis poſſedit. *l.* 4. *ſupr. de præſcr.* 30. *annorum.* 36 Imo aliquam, *l.* 6. *ſupr. de præſcript.* 30. *ann.* Harmenop. 3. §. 63. 37 Et ex. 38 Al. *juris.* 39 Dempto. 40 Per juſſionem principalem.

41 Emphyteuticariorum. 42 *Al.* Impp. Valentin. & Valens AA. 43 Coloni emphyteuticarios agros gravare non debent: hoc eſt, eos fundos, quorum alterius eſt emphyteuſis. 44 Coloni eos tantum agros colere poſſunt, quos labore coluerunt: verbi gratia, quos olivetis inſeruerunt, vel vinetis. 45 Al. *Obſitum.* 46 Fontium aquas, quæ emphyteuticariis debentur, coloni uſurpare vetantur. 47 Quorum. 48 Aquarum quæ partitio inter colonos & emphyteuticarios. 49 Colonis quantum aquæ emphyteuticarii relinquere debeant. 50 Al. *deeſt.* 51 Quod. 52 Coloni emphyteuticariis poſſeſſoribus penſiones & acceſſiones præbebant. 53 Id eſt, alienis. vid. *l.* 2. & *l.* 3. *ſupr. de his, qui a non domin. manum.* 54 Hujusmodi. 55 Al. *emeruerunt*: idque jure privato, vel emphyteutico. 56 Patrimoniales fundos qui habent, eorum fundorum colonos permutare, & in eorum locum alios ſubſtituere non debent. 57 Loco.

Coloni ad aliquam militiam convolantes, revocantur ad antiquam culturam. Bart.

4. Iidem AAA. [1] Cynegio P. P.

SUper patrimonialium refectione [2] fundorum dudum noſtris eſt legibus conſtitutum, ut [3] hi, qui eos colentes ſolum eorum verterant: nunc [ad] alia [ſe [4]] loca dirigentes [5], nunc ad militiam convolantes, ad avitas conditiones & propria jura revocentur. Cæterum eos, qui caſtrenſibus ſtipendiis otia [6] quieta meruerunt, [jam [7]] veterani conſtituti, nequaquam placet tela [8] in uſum vomeris ligonisque convertere.

TIT. LXIII.

DE FUGITIVIS [9] COLONIS PATRIMONIALIBUS, SALTUENSIBUS ET EMPHYTEUTICIS.

Coloni patrimoniales vel ſaltuenſes non obſtantibus aliquibus ſtipendiis, quæ promeruerint, revocantur ad primævam culturam agrorum. Bart.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD.

QUicunque parvuli [10] ex municipibus [11], vel colonis [12] patrimonialibus vel ſaltuenſibus, quorum tamen avi ac patres implicati hujusmodi functionibus fuerint, conniventia militaris officii ad ſtipendium caſtrenſe, vel officia diverſa tranſierint: ad munera patriæ, vel [ad] agrorum [13] cultus conventis ducibus, tribunis, ac præpoſitis revocentur, neque his ſtipendia [data [14]] proſint.

2. Iidem AA. Cynegio P. P.

QUisquis [15] colonum patrimonialem [16] aut ſollicitatione ſuſceperit [17], aut occultatione celaverit: non ſolum [18] ipſum reſtituere, ſed etiam libram auri pœnæ nomine inferre cogatur. PP. 8. Kal. Novemb. *Conſtant.* HONORIO N. P. & EVODIO CONSS. 386.

Omnes adſcriptitii ad agriculturam prædiorum patrimonialium, ſi ad aliquam militiam convolaverint, revocantur. Bart.

3. Impp. HONOR. & THEOD. AA. ad Anthemium P. P.

CUjuscunque adnotationis, vel oraculi dudum impetrati, vel poſtea eliciendi auctoritate ſubmota: omnes, quos patrimonialium agrorum vinculis fortuna tenet adſcriptos, ſub quibuslibet gradibus militantes, ad [19] provinciæ moderatoris judicium illico ſub idonea interceſſione mittentur.

TIT. LXIV.

DE COLLATIONE FUNDORUM PATRIMONIALIUM, ET EMPHYTEUTICARIORUM [20].

1. Imp. CONSTANTINUS A. [21] ad Proculum Proconſulem Africæ.

EMphyteuticarii [22] poſſeſſores, qui manſuetudinis noſtræ beneficio ad extraordinaria [23] minime devocantur [munera [24]:] ſicut cæteri Provinciales, obſequium ſuum itineribus [25] muniendis impendant. Nulla enim ratione debent ab hoc, quod [26] in commune [27] omnibus profuturum eſt, ſejungi [28].

2. Idem A. ad Ovinium [29].

PAtrimoniales [30] fundos [31] extraordinariis oneribus, vel mediæ, aut tertiæ [32] portionis obſequiis fatigari non convenit, cum eosdem, & auri [33] ſpeciem, & frumenti plurimum modum conſtet perſolvere: ita ut qui violare ſtatuta tentaverit, puniatur. P. P. 6. Kal. Septemb. *Carthagini*, CONSTANTINO A. V. & LICINIO CONSS. 319.

3. Imp. JULIANUS A. [34].

OMnes, qui patrimoniales fundos ſive [35] communiter, ſive ex aſſe retinent, pro his conveniendi ſunt ad univerſorum munerum ad eosdem fundos pertinentium pro [36] rata portione, vel in ſolidum functiones, ſicut [37] unumquemque privatorum neceſſitas publicæ penſitationis adſtringit. Datum 5. Kalend. April. MAMERTINO & NEVITA CONSS. 362.

4. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Germanum.

PLacuit, ut emphyteuticorum fundorum patrimonialiumque poſſeſſores, quo [38] voluerint tempore, & quantum habuerint penſionis paratum: dummodo non amplius quam in tribus per ſingulos annos vicibus officio rationalis adſignent: ac [39] de ſuſcepto [40] ab eodem ſecuritatem eodem die pro more [41] percipiant: modo ut intra Januariarum Iduum diem omnis ſumma ratiociniis publicis inferatur: graviſſimæ pœnæ ſubdendo officio, ſi cuiquam quolibet anni tempore (dummodo nequaquam numerum ternæ [42] illationis excedat) ſolutionem facere geſtienti negaverit ſuſceptionis officium: vel ſi moram fecerit, in chirographo ſecuritatis edendo: ſuper quo poſſeſſores, aut Procuratores, vel Magiſtratus, aut quicunque in locis fuerint, qui conficiendorum actorum habeant poteſtatem, conveniat conteſtari: ut & de officii inſolentia conſtet, in quo exercenda vindicta eſt: & his poſſit eſſe conſultum.

5. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Meſſalæ P. P.

PEr omnes Provincias patrimonialium fundorum ab ordinariis [43] Judicibus canon exigatur: & quicquid exactum fuerit, dirigatur. † Sciant vero memorati judices nihil ſibi ex privatæ rei canone, vel ex eo, quod ex iisdem titulis contigerit [44], ad neceſſitates alias transferendum: niſi maluerint graviſſima ſeveritate eorum licentiam coërceri. Dat. 15. Kal. Jul. *Mediol.* THEODORO CONS. 399.

TIT. LXV.

DE FUNDIS REI PRIVATÆ, ET SALTIBUS DIVINÆ DOMUS.

Fiſco alienante rem non poteſt res avocari, ſed perpetuo penes ipſum, vel ejus ſucceſſores debet res permanere. Bald.

1. Imp. [45] CONSTANTINUS A.

UNiverſi [46] cognoſcant has poſſeſſiones quas de fiſco noſtro comparaverunt, ſeu comparant, nullo a nobis jure retrahi [47]: ſed propria firmitate poſſeſſas, etiam ad poſteros ſuos dominii perpetui durabilitate dimitti.

2. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Flavianum Com. R. P.

HI, quos commoditas privatæ rei prædiorum [48] ad ea poſtulanda ſollicitat, adeant tuæ dignationis officium, & modum ſuæ deliberationis indicent per libellos: certumque habeant [49] quod unaquæque villa cum eo onere, vel forma [50] cui nunc habetur obnoxia, ad novi domini [51] jura migrabit: ut ſi [52] quid adjecerit ſumptus cura, vel ſolertia, quicquid mancipiorum, vel pecoris accreverit, capitationis, aut canonis augmenta non patiatur, ſed ſolis [53] dominis heredibusque dominorum ſit ceſſura felicitas. † Si quis autem in annis ſingulis [54] non ſolverit debitum ex re ipſius, quod in reliquis [55] remanſiſſe claruerit, ſine aliquibus dependere cogetur induciis. † Sane ſi quem poſtea minus idoneum factum eſſe conſtet [56], nec ita ut expedit, rationem reddere penſionis: res, quas ex noſtris rebus acceperat, ad alium [57] idoneum jure quo ſancimus, transferentur: nec tamen decoctoris [58] cujusque reliquis [59], qui novus accedit, onerabitur.

3. Impp. GRAT. & VALENT. AA. [60].

QUicunque poſſeſſionem rei privatæ noſtræ acceptam ſuo nomine, vel jure perpetuo [61], & vel titulo conductionis ei crediderit eſſe tradendam, qui penſare utilitatem patrimonii [62] noſtri ſolvendo non valeat: is [63] pro eo, quem ſuccedaneum ſurrogavit, perpetuæ [64] ſolutioni ſtatuatur obnoxius.

4. Iidem ad Orebium [65].

UNiverſi fundi templorum [66] ad rationalium rei privatæ ſolicitudinem, curamque pertineant: atque ab his anniverſariis [67] ſolutionibus poſtulatis, peculiari (ut ſemper fuit) ſtudio defendantur.

5. Iidem ad Nebridium [68].

USus [69] aquæ, quæ fundorum noſtrorum utilitatibus ſerviebat, plurimorum dicitur uſurpatione ſublatus: idque procuratorum [70] conniventia, vel diſſimulatione perfectum, ut agrorum fertilitas deſtituta [71], nullos fructus cultoribus præſtet [72]. Quia igitur ſatis injuſtum eſt ſtatum florentis ante patrimonii, aridæ ſitis moleſtia fatigari: ad meatus priſtinos univerſum aquæ motum, temporis præſcriptione ſubmota, præcipimus revocari.

6. Imp. ARCADIUS [73].

EUm [74], qui [75] collegio, vel curiæ, vel burgis [76], cæterisque cor-

1 *Et Arcadius A. in vet. quib. lib.* 2 Refectionem. 3 Coloni patrimoniales, qui ſolum verterunt, quique ad alia loca dirigentes, ſive militiæ nomen dederunt, revocandi, niſi veterani ſint. 4 Al. *deeſt.* 5 Al. *Diligentes.* 6 Veterani ſunt, qui caſtrenſibus ſtipendiis otia quieta meruerunt. vid. *l.* 1. 2. 3. & 4. *J. de veteranis. l.* 12. *tit.* 47. 7 Al. *deeſt*, *alias* etiam. 8 Tela in uſum vomeris & ligonis convertere incivile: hoc eſt, ex veterano milite colonum fieri. Civile tamen eſt pacis ſtudioſis.

9 5. *C. Theod.* 9. 10 Parvuli dicuntur intra annum vigeſimum quintum. *l.* 2. *§. de fundis patrimonial. h. l. tit.* 61. 11 Orti ex Curialibus, ex militia retrahendi ad munera patriæ ſeu curiam ſuam. *l.* 17. *§. de decur.* 12 Ex colonis. Nati ex colonis patrimonialibus, vel Saltuenſibus ad agrorum cultus revocandi. 13 Hoc eſt, ad ſtivam & aratrum. 14 Al. *deeſt*, al. *additur poſt* proſint, *& eſt ex ſubſcriptione.* 15 *Ex lib.* 5. *tit.* 9. *l.* 2. *C. Th.* 16 *Juris alieni*, in *C. Th.* 17 Recipiens, aut occultans colonum patrimonialem qua pœna teneatur. de privato adde *l.* 12. *ſupr. de agricolis. h. l. tit.* 47. 18 Quædam hic omiſſa ſunt e *C. Theod.* quem vide. 19 Coloni patrimoniales forum ſortiuntur apud præſidem provinciæ: & apud eum litigant de colonaria ſua conditione: deducuntur autem ad eundem præſidem a tribunis, vel ducibus, ſub idonea cautione. 20 Al. *emphyteuticorum.* 21 *Ad Proculum Proconſ. Africæ*, in *C. Theod.* 22 *C. Th.* 15. 3. 1. 23 Patrimonialium fundorum emphyteuticarii ab extraordinariis muneribus excuſantur. 24 *Abeſt a Cod. Theod.* 25 Patrimonialium fundorum emphyteuticarii a munere viarum muniendarum non excuſantur. adde *l.* 4. *J. de privilegiis domus Auguſtæ. h. l. tit.* 74. 26 Itinerum refectio prodeſt omnibus. 27 Immunitas non datur ab iis, quæ in commune omnibus profutura ſunt. 28 *Eſſe ſejuncti*, in *C. Theod.* ex quo reſtituenda hic eſt ſubſcriptio, P. P. Non. Maji, *Carthagine*, Conſtantino A. V. & Licinio CC. Conſſ. 29 Catulinum P. P. Africæ. 30 *C. Theod.* 11. 16. 1. 31 Patrimoniales fundi ab extraordinariis muneribus excuſantur, *l.* 15. *§. de excuſ. muner. l.* 10. *tit.* 47. 32 Patrimoniales fundi ne quidem extraordinariorum munerum mediam aut tertiam partem exſolvere debent. *l.* 4. *C. Theod. eod.* 33 Patrimoniales fundi principi præſtant auri ſpecies & frumentum, *l.* 2. *ſupr. de fund. patrimon. h. l. tit.* 61. *l.* 10. *§. de excuſ. muner. l.* 10. *tit.* 47. 34 *Cod. Theod.* 11. 19. 2. 35 Multa ſunt hic & poſtea addita a compoſitoribus. 36 Patrimonialium fundorum poſſeſſores pro rata poſſeſſionum ſolennibus functionibus ſatisfacere tenentur. 37 Patrimonialium fundorum poſſeſſoris & privati fundi poſſeſſoris eadem in inferendis ſolennibus præſtationibus ratio eſt. 38 Patrimonialium & emphyteuticariorum fundorum poſſeſſores penſiones ſuas, annonas ſolemnes, quo anni tempore voluerint, poſſunt ſolvere, ſic tamen ut integrum ſuum canonem inferant intra tres ad ſummum penſiones. 39 Solventi debitori apocham creditor (etiamſi princeps ſit) præſtare cogitur. 40 Suſceptum eſt ſecuritas apochæ. vide *Novell.* 130. *cap.* 1. 41 Promere. 42 Trinæ. 43 *l.* 7. *in pr. §. de exact. tribut. l.* 10. *tit.* 19. *l.* 1. *in pr. J. de collat. fundor. fiſcal. h. l. tit.* 73. 44 Al. *exegerint.*

45 *Imp. Conſtantini Edictum ad Conſtantinopolitanos*, ita ſcriptum reperi in uno manuſcr. *al.* Impp. Conſtantinus & Conſtans AA. ad Heliodorum. 46 Emens prædium privatum a fiſco, firmiter id retinet, neque ullam ejus ademptionem vereri debet, ita ut id ad ſuos liberos durabiliter, ἰσχυρῶς transmittat. *Synopſ. Baſil.* 15. *tit.* 3. *ex lib.* 55. *tit.* 15. 6. 1. *l.* 2. *§. ne fiſc. rem, quam vendidit, evincat. l.* 10. *tit.* 5. *l.* 6. *§. de fundis patrimon. h. l. tit.* 61. 47 Retrahere dicit, ut *l.* 5. *circa med. J. de locat. præd. civil. h. l. tit.* 70. ut & retractare in *l.* 2. *§. ne fiſcus rem, quam vendidit, evincat. l.* 10. *tit.* 5. 48 Pretiorum. 49 Habeat. 50 Fortuna. 51 Dominii. 52 *l.* 16. *in pr. §. de omni agro deſerto. h. l. tit.* 58. 53 Solum. 54 *l.* 4. *ſupr. de fundis patrim. h. l. tit.* 61. 55 Vide quod ſcripſi ad *l. ult. ſupr. de cenſibus. h. l. tit.* 57. 56 Conſtabit. 57 *l.* 13. *ſupr. de omni agro deſerto. h. l. tit.* 58. 58 Decoctor, qui pecuniam publicam decoquit, intercipit, intervertit. 59 Vide *l.* 11. *§. de omni agro deſerto. h. l. tit.* 58. 60 Imppp. Gratian. Valentinian. & Theodoſ. AAA. ad Heſperium. 61 Id eſt, dominii vel emphyteuſeos jure, ut *in l. penult. ſupr. de exc. mun.* hoc autem dicit lex: Si quis fundum rei privatæ jure perpetuo vel titulo conductionis acceptum alii vendiderit, donaverit, vel ablocaverit, qui ſolvendo canoni par non ſit, pro eo ipſe obligatur fiſco. *Mod.* 62 Patrimonii appellatione res etiam privata principis continetur. Eſt enim quoddam patrimonium principis privatum, *l.* 8. *C. Theod. de jure fiſci. l. ult. J. de agric. & mancip. h. l. tit.* 67. aliud ſacrum, *l.* 1. *§. de indict. l.* 10. *tit.* 17. *l. ult. §. de vectig.* quod a re privata ſeparari ſolet, vel domibus. *Edict.* 4. & 8. 63 *l.* 47. *in fin. ff. de jure fiſci.* 64 Perpetuo. 65 Al. *Iidem AAA. ad eundem.* al. *Ceperium.* 66 Templorum fundi pertinent ad curam rationalis rei privatæ. 67 Al. *univerſitatis*, ſed male. 68 Al. *Iidem AAA. ad Nepidium.* al. *Nepotium.* 69 Aqua pertinens ad uſum fundorum rei privatæ principis a nullo intercipienda: adde, ut uſurpatorem nulla poſſit defendere temporis præſcriptio. 70 Vide *l. ult. §. de condit. in publ. horreis. l.* 10. *tit.* 26. 71 Fertilitates deſtitutæ. 72 Præſtent. 73 Impp. Arcad. & Honor. AA. Vincentio P. P. Galliarum. 74 *Ex lib.* 12. *tit. ult. l. pen. C. Theod.* quam confer: multa enim hic ſunt immutata. 75 Qui triginta annos ſervivit collegio, curiæ, vel burgo, non revocandus eſt quaſi colonus alienus, vel inquilinus. 76 Burgi, corpora, *ut hic*, habitacula per limitem. Paul. Diaconus *Valentiniano*, Caſtella parva, Veget. 4. a voce πύργος hoc verbum deducitur, quæ vox etiam urbem ſignificat: unde leges urbanæ Æſchylo νόμιμα πύργινα. adde titulum *C. Th. de Burgariis.* adde quæ ſcripſi ad *l.* 2. §. 4. *ſupr. de offic. P. P. Africæ.* vide Cujac. 3. *obſerv.* 24. *in fin.*